

Hum fuit a filiofamilias absque consensu paterno, imò contra illius expressam voluntatem: qua de causa Matrimonium in Gallia nulla declaratur, & irrita bene, aut male non decido; sed de hoc adjunt expresse ordinationes antiquæ, & recentis; quibus Matrimonia sine consensu parentum contracta declarantur invalida. Hæc omnia Tondut.

Respondet Caramuel ubi supra num. 1120. consensum paternum desiderari pro validitate Matrimonio, quæ filiofamilias volunt contrahere; non ex solo præcepto Regis, sed ex jure Ecclesiastico emanato in Concilio Meldensi (sic dictum à Meldæ Civitate, vulgò Meaux, in qua fuit congregatum in

33 Gallia Lugdunensi, cujus Episcopus est suffraganeus Archiepiscopi Parisiensis, teste Ferrario in Lexic. Geographic. Verb. Meldæ) undè idem Caramuel subdit: Nec me arget auctoritas, nam Matrimonium Filie Caroli Calvi, aut etiam Filii declaratum fuit ab Ecclesia invalidum, & nullum; non quòd factum fuisset contra voluntatem Regis; sed quòd fuisset contra voluntatem parentis; nam in Concilio Meldensi, ut Filii sub disciplina Parentum manerentur, sub pœna nullitatis præcipitur, ut Matrimonium non incant sine conscientia, & consensu Parentum. Filia igitur Regis Caroli Calvi invalidè nupsit, non propter impedimentum latum à Lege seculari, sed latum à Legge Ecclesiastica: non quòd ad valorem Matrimonii consensus Regis requireretur; sed quia requirebatur consensus Patris; quomòdum si Carolus Calvus non esset Rex, eodem omnimò modo illud Matrimonium fuisset invalidum. Hæc omnia acutissimus Caramuel.

Ceterum facile est demonstrare supradictas Historias, ac declarationes nullitatum Matrimoniorum ob defectum consensus Regis in Nuptiis intis eo inficis, vel reluctantæ, à natis Sanguine Regio, non esse contrarias Catholicæ doctrinæ, & sensui universalis Ecclesiæ, si dixerimus, eas processisse, ac procedere vigore immemorabilis consuetudinis, quæ viget in Gallia, & à qua est introductum, ut deficientia consensus Regis, dum ejus consanguinei sunt Matrimonium contracturi; vel parentum, si filiofamilias velint Uxores ducere, sit impedimentum dirimens, ex quo resultat ipsæmet Matrimoniorum nullitates. Jam probatum est supra num. 20. omnes Theologos, ac Canonistas concedere hanc potestatem Consuetudini ex iusta causa introductæ, ac legitime præscriptæ, & à Summo Pontifice saltem tacite approbatæ, statuenti scilicet impedimenta Matrimonium dirimentia. Potuit itaque Anno 1634. & 1635. declarari nullum, & invalidum Matrimonium Ducis Aureliæ, Fratris Ludovici XIII. Regis Franciæ, tamquam contractum sine consensu Regis, vigore ejusdem Consuetudinis innixæ tum præscriptioni, tum rationi. Præscriptio est notoria, quia si hæc in rebus Ecclesiæ requirit spatium annorum quadraginta. cap. De quarta. cap. Ad Aures. De Præscriptionib. Salmanticenses d. tr. 9. cap. 11. num. 24. ubi hoc tempus, ajunt, sufficere pro statuentis impedimentis dirimentibus; utique consuetudo requirendi, & obtinendi consensus Regis in consanguineis ejus in Gallia, non solum erat 40. Annorum, sed Annorum octingentorum; quia ex Spondano, & aliis Historicis Carolus Calvus Rex Galliæ regnabat Anno 840. & sic Annis octingentis ante Regem Ludovicum XIII. Imò supra mille Annos extare consuetudinem in Gallia, ut consanguinei illius Regis non nubant absque ejus assensu, deducit ex exemplo Licinii, Regio Sanguine Clotarii Regis (qui regnabat in Gallia Anno Christi 527.) descendens,

37 quem Matrimonium contraxisset, requisito prius, ac obento ejusdem Regis Clotarii consensu notant Bollandus in Vita ejusdem Licinii die 14. Februarii, & Hieron. à Basilica Petri Metamorph. Sacr. part. 1. convers. 5. quos retuli supra in precedenti Decif. XVII. numer. 33. Igitur de immemorabili

illa Gallicana consuetudine ambigere nemo potest.

De Ratione autem, videlicet, quod sit rationabilis manifestè pater, tum in natis de Sanguine Regio, adstrictis ad non contrahendum Matrimonium absque consensu Regis sub pœna nullitatis, ne perturbent publicam quietem, promovendo rebellionem ex somento exterorum Principum, quibus se affines faciunt, contrahentes Matrimonia sine assensu Regis; tum in filiofamilias, ut sub disciplina Parentum manerentur, ac Filii Caroli Calvi, Regis Franciæ de Anno 840. utque illud Ducis Aureliæ Fratris Regis Ludovici XIII. de Anno 1634. nulla, & invalida fuerint declarata ex defectu consensus Regii, quem Consuetudo rationi consona, & legitime præscripta ab immemorabili tempore decrevit esse impedimentum dirimens in illo Regno; & ideoque Sapientissimi Præsules Cleri Gallicani, qui prædictam declarationem fecerunt Anno 1635. adjuverunt, se ita sentire, ac declarare vigore Consuetudinis.

Colligitur ex his omnibus, quod incidere impedimenta dirimentia Matrimonium spectat tum ad Summum Pontificem, tamquam caput Ecclesiæ, tum ad Ecclesiam ipsam universalem, quæ in Conciliis Generalibus recognoscitur; tum etiam ad Consuetudinem ex rationabili causa inductam, ac legitime præscriptam, & ab eodem Summo Pontifice approbatam; secus autem ad Reges, seu Principes Laicos, ut rationibus, juribus, ac innumeris propè allegatis Doctoribus demonstrat Diana Coordinatus in vet. tom. 9. traç. 2. resol. 340. cum tribus aliis resolutionibus sequentibus, & antecedent. eod. tom. 9. traç. 2. resol. 222. quæ habetur in Diana inordinato part. 3. traç. 1. resol. 16. in quibus omnibus resolutionibus ab eo formatis occasione nullitatis Matrimonii antedicti Ducis Aureliæ, vulgò de Orleans, Fratris Ludovici XIII. Regis Galliæ Anno 1634. & 1635. doctè, eruditè, ac nervosè probat, Reges, ac Principes Laicos non posse statuere impedimenta dirimentia Matrimonium, sed non tetigit punctum controversiæ; quia Matrimonium Ducis Aureliæ Fratris Regis fuit declaratum nullum, & irritum ex defectu consensus Regis vigore immemorabilis, rationabilis, ac legitime Consuetudinis, quæ firmaverat pro impedimento dirimente deficientiam prædicti consensus Regii; sicut pro Matrimoniis filiorum familias firmavit, & statuit esse impedimentum dirimens defectum consensus Paterni, ut ex Tonduto super num. 32.

Corollarii loco addendum, disputare DD. an sicut Consuetudo potest inducere impedimenta dirimentia; ita habeat vim tollendi, & abrogandi ea, quæ à Jure Ecclesiastico sunt introducta? Alii negant, alii affirmant, qui, super hoc quaesito allegantur à Salmanticensibus d. traç. 9. cap. 11. punct. 2. Ipsi amplectuntur affirmativam, quia consuetudo legitima abrogat legem contrariam scriptam. cap. fin. de Consuetud. & ita sentiunt etiam Sanchez lib. 7. disp. 4. num. 4. Azorius lib. 1. cap. 17. quæst. 8. Bonacina de Matrim. g. 3. punct. 1. num. 7. Pontius lib. 6. cap. 4. num. 6. & alii apud eisdem Salmanticenses, qui ceteris studiosius agunt de efficacia consuetudinis in ducendis, & abrogandis impedimentis dirimentibus. Exemplum habetur infra Decif. XXVII. num. 19. ex Basilio Pontio afferente, Consuetudinem abrogasse impedimentum dirimens disparis Religionis inter Catholicum, & hæreticum.

Tandem non est ignorandum, omnes Doctores asserere, esse peccatum mortale contrahere Matrimonium scienter cum impedimento non solum dirimente, sed etiam impediendo tantum. Perez de Matrim. disp. 22. sect. 2. & 3. Cotonius lib. 3. Contror. 1. num. 288. imò addunt committi Sacrilegium; sed Goba-

Gobatus traç. g. n. 59. & 60. excusatur à Sacrilegio contrahentem cum dirimente, quia hic nullum suscipit Sacramentum. Quòd si qui contrahant Matrimonium putantes inter se esse impedimentum dirimens, quod tamen re vera non sit; Utrum validum sit Matrimonium? Alii asserunt, alii negant; ut ostendit Mastrius in 4. sent. d. disp. 7. num. 372. qui numer. 373. opinionem inter se pugnantem conciliat dicens, quòd si contrahentes intendunt facere id, quod possunt, validè contrahunt; invalidè autem, si credentes adeffe certum impedimentum dirimens, non intendunt contrahere, sed simulatè actionem illam gerere.

DECISIO XIX.

ARGUMENTUM.

Explicatur primum Impedimentum dirimens, quod vocatur ERROR, data ejus divisione, quòd fit vel circa substantiam Personæ, vel circa Qualitatem. Error circa Personam dirimit Matrimonium, ut de Lia ducta pro Rachele à Patriarcha Jacob. Sub nomine ERRORIS ostenditur venire Stultitiam, & inter stultos connumerari nimirum Amantes, ac Ebrios, quorum Matrimonia quando nulla sint, demonstratur. Idemque docetur de Impuberibus. De ERRORE qualitatis personæ, & quando irritet conjugium? per varias Regulas, & Exempla à DD. sumpta, plenè, ac doctè diffiterur.

SUMMARYUM.

- 1 Ignorantia differt ab errore. Et quomodo?
- 2 Error in Matrimonio alius personæ, & alius qualitatis.
- 3 Error circa personam irritat Matrimonium.
- 4 Consensus humani epitheta, laudes, ac energia.
- 5 Consensus defectus non suppletur per Clausulam supplettes &c.
- 6 Lia, ac Jacob Matrimonium an fuerit validum? & num. 11.
- 7 Benedictio data ab Isaac per errorem an fuerit valida? & num. 13.
- 8 Sacramenta data alicui cum errore persona an valida sint? & n. 14.
- 9 Vendens rem Joanni credens esse Petrum, an valeat venditio? & num. 16.
- 10 Consensus defectus, ubi est error in persona.
- 12 Lia, & Rachel vite active, ac contemplative symbolum.
- 15 Ministri Sacramentorum semper intendunt ea dare persone presenti, illa suscipienti.
- 16 Vendere rem unam pro alia irritat contractum.
- 17 Amentia, & defectus etatis irritant Matrimonium.
- 18 Fatui, seu Amotes, & Stulti an possunt contrahere Matrimonium?
- 19 Amor speciei suliitice.
- 20 Amoris passio quam corporis partem officiat?
- 21 Amor nimius vertitur in furorem.
- 22 Amoris nimirum astro contractum conjugium an valeat?
- 23 Ebrietas an irritet Matrimonium in ea contractum?
- 24 Impuberes an possunt contrahere Matrimonium de presenti?
- 25 Dispenfare an possit Papa, vel Episcopus, ut impuberes contrahant Matrimonium de presenti?
- 26 Error qualitatis personæ non irritat Matrimonium, nisi redundet in substantiam personæ.
- 27 DD. discordia circa errorem qualitatis irritantem. De Sacram. Matrim.

28 Qualitas deducta sub conditione, si deficiat, irritat Matrimonium.

29 Regula pro cognoscenda qualitate dirimente.

30 Bisi doctrina circa cognoscendam qualitatem dirimentem.

31 Caramuel Casus relatus de Qualitatis errore dirimente.

32 Qualitas, quæ est unicum Medium ad faciendum Matrimonium, irritat, si deficiat.

33 Forum Fori difficile in sententiando pro nullitate Matrimonii ob errorem in qualitate; & cur?

Post explanationem eorum, quæ generaliter ad impedimentorum Matrimonialium naturam spectant, opus est ad particularem declarationem uniuscujusque Impedimenti descendere; quorum primum est illud, quod vocatur ERROR, & circa istud, notare oportet secundum Mastrius in 4. sent. disp. 7. num. 386. aliud esse Errorem, & aliud esse Ignorantiam. Ignorantia dicit tantummodò negationem scientiæ, quæ dici solet ignorantia simplicis negotios. Error autem dicitur iudicium perversum intellectus, & vocatur ignorantia pravæ dispositionis; uterque tamen sufficit ad causandum actum involuntarium, ut ait ibidem Mastrius, quia voluntas non fertur in incognitum. Item advertendum venit, quod ab omnibus Theologis, circa hoc impedimentum, assignantur duæ species Erroris, una dicitur Error persone; alia verò Error qualitatis. Ille dicitur Error persone, qui concernit substantiam, & individuum personam, cum qua Matrimonium contrahitur; ut cum quis intendit contrahere cum una certa, & in mente sua determinata muliere; & tamen per errorem, aut per alicujus dolum, vel fraudem, contrahit cum alia; juxta Exemplum Patriarchæ Jacob, qui intendens ducere in uxorem Rachelem, sibi ab ejus Labano patre promissam, & desponsatam; transacta prima nocte Nuptiarum, reperit ab eodem Labano Liam fororem Rachelis fuisse fraudolenter in lecto positam, cum qua per errorem concubuerat, ut legitur in Genesi cap. 29. Error qualitatis est ille, qui concernit non individuum personam, cum qua contrahitur, sed ipsius qualitates, puta si quis putet ducere in uxorem mulierem, quam credit esse nobilem, vel divitem, vel Virginem; & nihilominus illa sit plebeja, vel inops, vel corrupta; ut exemplificando differant tam Canonistæ, quos cumulat Barbosa in Votis Decifivis lib. 2. Fot. 19. à num. 55. quom Theologi, quos allegat Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 18. num. 2. ubi bene advertit, nunquam posse contingere errorem personæ absque aliqua ipsius personæ noticia vel ex visu, aut saltem ex auditu, & fama; nam in penitus ignotum nec consensum, nec affectum dirigere possumus. arg. l. Cum ab eo. Verb. Mensam. ff. De Contrahen. Empti.

Igitur Error circa personam, cum qua quis intendit contrahere, est impedimentum dirimens Matrimonium, & quòd ex jure naturali reddit ipsum nullum, irritum, & invalidum, non solum inter Christianos, sed etiam inter infideles, qui legibus Naturæ tenentur, ut docent S. Thomas in 4. dist. 30. q. 1. art. 1. & in Addit. 3. p. quæst. 61. art. 1. Averfa quæst. 12. sect. 1. Sanchez d. disp. 18. num. 11. Basilius Pontius lib. 4. cap. 20. num. 3. & 7. Gonet de Matrim. disp. 9. num. 3. Salmanticenses, alios plures allegantes, traç. 9. cap. 10. num. 4. Mastrius d. disp. 7. numer. 387. Bifus in Hierurgia tom. 1. Verb. Error. numer. 114. & Emin. Card. de Lauræa de Matrim. disp. 21. num. 3. Ratio est, quia, qui errat, non consentit. l. Si per errorem. ff. De Jurisd. omn. Judic. & errantis nullus est consensus. l. Cum testamento. l. Non idcirco. C. De Juris, & facti ignor. Sed ad contrahendum Matrimonium necessarius est consensus. cap. Unico 29. quæst. 1. cap. Tua nos. De Spor. G. silib.

fulib. & late probatum est supra Decif. V. Ergo de-  
ficiente consensu per errorem circa personam, cum  
qua contrahitur Matrimonium, hoc remanet irritum,  
& nullum; error enim substantialis in omni contractu  
irritat illum. Scorus in 4. Sent. dist. 21. quæst. 1. ubi  
quod si vendatur auriculus pro auro, nulla est ven-  
ditio; ob defectum consensus recipientis ipsum. Hinc  
consensus à Iuristis vocatur ens transcendente in om-  
nibus operationibus humanis omnino necessarium,  
quo deficiente omnes actus corrumpuntur, & nulla obli-  
gatio contrahitur, vel nasci potest absque consensu. l. 1.  
§. 1. ff. de Pañis. l. Obligamur. ff. de Ad. & Oblig.  
Paulus Rubens in Adit. ad Rotam Roman. part. 8.  
rec. Decif. 1. num. 1. & seqq. ubi num. 5. ait, quod  
consensus agentium est primus mobilis, quo deficien-  
te omnia acta deficiunt, & remanent tanquam sym-  
balum tinniens; & num. 8. subdit, quod ex antris  
cavernosis nullitatem non potest erumpere ventus ma-  
gis rabiolus Australis, quam ille nullitatis consensus,  
aptus, ac valens ad omnia ruditus subvertenda, &  
protemenda; itaut dici possit de eo illud Anaxi-  
libr. 5.

Turbis imber aqua, desquam nigerrimus Austro-  
Nec reperit potentia, quantumvis maxima, quæ  
potens sit ei resistere; imò & suprema Principis po-  
testas, quæ valet æquare quadra rotundis, & rotun-  
da quadris, ut scribit Baldus lib. 3. consil. 262. num. 2.  
nihilominus ad nihil deservit pro supplendo consensu,  
ubi non adest; nam talis defectus est de iure natu-  
rali, contra quod lex humana non dispensat. l. Nam  
Magistratus. ff. De Arbitr. adeo ut neque Confirmatio  
Apostolica suppleat defectum consensus; etiam si  
adit clausula supplet omnes defectus, etiam For-  
males, ac Substantiales; ut in puncto dixit Rota  
coram Eminente. Card. Cavalerio. Decif. 618. n. 17.  
& 18. subdicens, quod Papa per viam contractus non  
potest aliquem non consentientem obligare; & idem  
sicut dictum in causa Oxomen. Penſionis coram Litra,  
impresca apud Garziam de Bencic. part. 1. cap. 5.  
num. 247. Itaque si quis intendat contrahere cum Ber-  
ta; & loco Bertæ per errorem contrahat cum Antonia,  
Matrimonium esse nullum ex defectu consensus;  
siquidem ille contrahens vult commutare suum corpus  
cum Bertæ tantum; non autem cum Antonia, aut  
aliqua quacunquæ ab eadem Bertæ.

Porro contra prædictam doctrinam aliquis objiciet;  
Primo, id, quod legitur Genes. 29. 20. videlicet;  
Servivit Jacob pro Rachel septem annis; dicitque ad  
Laban: da mihi uxorem meam ( Sponsam in Uxo-  
rem) quia jam tempus expletum est, ut ingrediar ad  
illam. Quis vocatus multis amicorum turbis ad convi-  
vium, fecit Nuptias ( idest Matrimonium ratum de  
præsentibus) & Vespe Liam filiam suam ( majorem )  
introduxit ( velata facie, ut tunc mos erat ) ad eum  
( idest in ejus non cognoscens cubiculum, & lectu-  
rum ) Ad quam cum ex more Jacob fuisset ingressus  
( hoc est, per copulam maritali affectu peractam, cons-  
summasset venum, sua opinione, Matrimonium )  
facto manè vidit Liam ( quam castissimi, & puden-  
tissimi animi Vir, & nil aliud mētiens, quam ne-  
cessaria ad proles generationem, nullo verbo amato-  
rio nota nocte allocutus erat ) & dixit ad Socerum  
suum: Quid est, quod facere voluisti? Nonne pro  
Rachel servivi tibi? Quare Liam imposuisti mihi?  
Nihil deinde actum est de nullitate illius Matrimo-  
nii; fed Lia fuit usque ad mortem vera Uxor eius-  
dem Jacobi; ut textus facer narrat; cuius verba  
cum supranotatis clausulis explicatoriis, ad majore-  
m intelligentiam refert Gobatus d. tract. 9. de Ma-  
trim. num. 110. Ergo error personæ non irritat con-  
jugium.

Secundò obijci potest, quod Patriarcha Isaac  
pater ejusdem Jacobi illum benedixit, benedictio il-  
la data fuit cum errore; nam Isaac intendebat be-

nedicere Esau filium suum primogenitum, non au-  
tem Jacob, ut habetur in Genes. cap. 27. ubi num. 23.  
dicitur: Et non cognovit eum, quia pilose manus si-  
militudinem majoris expresserat. Et nihilominus be-  
nedictio illa data cum errore in personam, & sine  
consensu benedicentis, fuit valida. Ergo validum  
erit etiam Matrimonium, licet contractum cum er-  
rore personæ.

Tertiò; Sacramenta, quæ aliquis Sacerdos con-  
fert alicui cum errore personæ, sunt valida; exem-  
pli gratia si quis baptizat, vel abluvat, aut det ex-  
tremam Unctionem Petro credens esse Joannem  
Gobatus in Theolog. Experim. de Sacram. in genere  
tract. 1. num. 214. Ergo idem dicendum de Matri-  
monio per errorem contracto.

Quartò; Alii contractus initi cum errore personæ  
non sunt irriti, sed sustinentur. Salmanticenses dist.  
tract. 9. cap. 10. num. 2. ubi exemplificant de illo,  
qui venderet equum Petro, credens eum esse Joannem.  
Ergo etiam contractus Matrimonii debet vali-  
dus censer; ac reputari, quamvis aliquis crederet  
ducere Bertam in Uxorem, & duceret Joannem.

His tamen non obstantibus irrefragabilis est supra  
firmata doctrina, quod Matrimonium, initium per  
errorem personæ, est nullum, & invalidum ob de-  
fectum consensus illius, qui contrahit errando; cum  
enim credat, & intendat ducere unam mulierem,  
in ejus mente, ac voluntate determinatam, si aliam  
ducat ab illa per errorem, in illam non extenditur  
consensus ejus, & deficiente consensu, ex naturali  
jure nullius valoris est contractus; ut supra ostensum  
est, & docent omnes Doctores. Ad prædicta autem  
obijcta respondetur.

Ad Primum, quod Matrimonium Jacob cum Lia  
non fuit validum in principio, ratione erroris per-  
sonæ, sed posteaquam Jacob de errore fuit certifi-  
catus, sciens, & volens contraxit cum ea; ut par-  
ceret ipsi pudori, & honestati; & sic fuit vali-  
dum. Ita S. Thomas 3. part. quæst. 51. art. 1. ad 4.  
& Cornelius à Lapide Comment. in Genes. d. cap. 29.  
Vers. 27. & 28. ubi subdit, Tropologicè Rachel, &  
Lia sorores significant duplitem vitam, scilicet con-  
templativam, & activam. Primò ducenda est Lia,  
idest Laboriosa; hoc enim hebraice significat Lia,  
idest Lippa, quia terrenis intentis, & sollicita, ac va-  
rie distracta est vita activa; deinde Rachel, idest Ovis,  
scilicet quies contemplationis, quam utipote pulcherram  
tanto amore prosequi debemus, quanto Jacob amavit  
Rachelam.

Ad secundum respondet Abulenſis quæst. 7. in Ge-  
nes. cap. 27. benedictionem ab Isaac datam Jacobo  
fuisse validam, quia Isaac intentionem habuit benedi-  
cendi filium præsentem, quicumque ille fuerit. At  
melius ait S. Augustinus lib. 16. de Civit. Dei cap. 37.  
circa fin. talem benedictionem valuisse, quia Isaac  
cognita veritate, dolens advenisset Esau, & intellex-  
isset, quod Jacob dolose eum arripuerat, ex divi-  
no instinctu illum confirmavit, & ratificavit.

Ad Tertium respondet Gobatus d. tract. 1. n. 214.  
quod error personæ in Matrimonio vitiat per se  
contractum, & consequenter Sacramentum, nisi in  
ceteris Sacramentis error personæ communitur nisi  
alicui valoris Sacramenti error personæ communitur  
habetentes Matrimonium semper restringunt suam intentionem  
ad illud individuum personæ, cum qua in corde suo  
intendunt contrahere, excluso personis in mente sua  
quocumque alio individuo, & hoc ob  
perpetuum vitæ societatem cum eodem habendam; &  
ideo ultra eorum intentionem actus ille nihil operatur.  
l. Cum pater. §. Donationis. ff. de Legat. 2. At  
in aliis Sacramentis Ministri non habent communissi-  
mè restrictam intentionem conferendi illa alicui tantum  
personæ, individualiter in mente determinatæ,  
sed habitualiter ( quod sufficit ) expor-  
tam illam tenent ad illud individuum, quod habent  
coram

coram se, & respectu ejus offerunt formam Sacra-  
menti. Imò implicitè habent ejusmodi intentionem  
virtualem; præditi quippe sunt generali voluntate  
administrandi Sacramenta juxta communem morem  
Ecclesiæ; est autem mos, & voluntas justissima  
Ecclesiæ, ut minister velit, intendatque actu imper-  
tenti Sacramentum illi ipsi, cui hic, & nunc appli-  
cat materiam, & formam, ut in Baptismo, &  
Extrema Unctione; vel solam formam, ut in Sa-  
cramento Penitentiæ.

Ad Quartum respondetur, quod in aliis contra-  
ctibus, si error sit circa substantiam rei, quæ deducitur  
in contractu, utique irritat illos, ut docet S. Thomas  
3. part. qu. 51. art. 2. ad 7. ubi dat exem-  
plum si quis venderet Animum pro Equo; quia in il-  
lo contractu res tradita est de substantia ejusdem,  
cum sit rei, vel pecuniæ pro re commutatio. Per-  
sona verò contrahens per accidentis se habet ad eum-  
dem contractum; unde in illo errore circa personam  
est error in accidentibus. In Matrimonio autem per-  
sonæ contrahentes pertinent ad substantiam, & es-  
sentiam contractus; & ideo non est simile, ut dis-  
ferat Collegium Salmanticense d. tract. 9. cap. 10.  
num. 8.

Hinc autem impeditio Erroris circa personam,  
Matrimonium dirimit, et duos alios casus adjungit  
Nicolius Lucubrat. Civil. lib. 1. tit. 10. De Nuptiis  
num. 33. ex doctrina S. Thomæ d. 3. part. quæst. 58.  
art. 3. & 5. Videlicet, Amentiam, & defectum æta-  
tis; in utroque enim casu ob defectum consensus in-  
validum est Matrimonium; & sicut ex errore nulli-  
ter contrahitur, quia qui errat, non consentit; sic  
amentes, seu fatui, atque impuberes, quia consenti-  
re legitime non valent, dicuntur per errorem in sub-  
stantiam contrahere invalidè.

Circa primum casum, Fatuitatis, Amentię, seu  
Stultitiæ plures sunt species, quas examinat, ac de-  
clarat Zacchias in Q. Q. Medicolegal. lib. 2. tit. 1.  
quæst. 7. in qua num. 37. inquit, an hoc morbo la-  
borantes possint Matrimonium contrahere? & n. 38.  
respondet, quia magna est fatuitatis latitudo, restè  
consultum patet, si Judicis arbitrio hæc decidenda re-  
linquantur. Illud est certum tum apud Medicos, tum  
apud Theologos, ac Juristas, quod inter alias stulti-  
tias, ac fatuitatis species consummatur Amor, &  
ideo Amantes de facili sunt Amentes, teste eodem  
Zacchia d. lib. 2. tit. 1. quæst. 10. numer. 1. & ibi  
Barbosa in Collect. DD. ad cap. Cum in juventute  
num. 5. De Præsumpt. & Tiracellus de Penis tem-  
perant. cap. 4. num. 1. Amor enim pervertit judicium  
rationis, ut ait Baldus in l. 2. §. cum placuisset. ff.  
de Orig. Jur. ipse Barbosa in cap. Veniens. sub num. 5.  
De Sponsal. & Mardardus de Probat. conclus. 86.  
num. 20. adeo ut, etsi discordes sint Medici in do-  
cendo, ac diffinendo an Amor sit passio vel hepa-  
titer, vel cordis, vel cerebri? communior tamen opi-  
nio est, Amoris passionem cerebrum afficere, quia  
ex nimia imaginatione in re amata lædit rationem,  
quæ ad cerebrum spectat; & sæpè læpius ita vehe-  
menter, ut Amor vertatur in furorem, juxta illud,  
quod cecinit Virgilius in Æneid. de Didone, amo-  
re Æneæ vehementissimè captus:

Uritur infelix Didò, totaque vagatur  
Urbe juvenis, qualis conjècta Cersæ sagitta  
& hujusmodi furoris morbus fiat insanabilis, & in-  
capax medicinæ, prout subiunxit Propertius 2.

Omnes humanos sanat Medicina dolores;  
Solut amor morbi non amat artificem.

Quapropter cum plura differuerit de stultitia, ac fu-  
rore Amentium, subdit ipse Zacchias d. quæst. 10.  
num. 43. Ex quibus omnibus concludendum iure est,  
quod Amor præ ceteris insanis à ratione elongatur,  
& furor equiparandus est; unde Amantes non minus  
ac furientes, ex Medicorum consilio, ut ab eo furore  
curentur, ceteris, & vinculis coercendi sunt, ac fla-

De Sacram. Matrim.

gellis edomandi; & paulò infra num. 48. Cum Amor  
amentia absolute sit, omnia in amentibus locum habere  
debent, quæ in amentibus locum habent; absolute  
enim Jurisconsulti, ac iure, amantem furiosum equipa-  
rant. Glossa in §. 1. Inst. De Success. Subi. Meno-  
chius de Arbitr. cap. 326. num. 1. Farinac. Caball.  
Mantica; & alii, ibi allegati. Et ut ad Materiam  
nostram revertamur circa nullitatem Matrimonii,  
quod contraheret amens Amans, ob defectum con-  
sensus, quem in cetro violento libidinis nulliter,  
& per errorem censetur præstitisse, videndus est Go-  
batus in Theolog. Experim. tract. 10. à n. 23. & seqq.  
ubi examinat Ricci Decif. 15. in part. 2. tom. 2. in  
qua resolvit, non tenere promissionem Matrimonii  
factam ab Amante exigente copulam, & eam obti-  
nente ab Amasia; quia reputatur promissio facta in  
furore libidinis absque consensu; circa quem plura  
cumulat ad cognoscendum an fuerit cum libertate  
animi, vel cum errore; citatque P. Sanchez lib. 1. in  
Decal. cap. 1. num. 20. ubi ponit plures regulas ad de-  
monstrandam vel libertatem, vel errorem consensus.  
Questio est valde dubia, & in prætaxatendâ sunt  
circumstantiæ; siquidem ipsemet Riccius in Præxi  
resol. 135. in hac facti specie resolvit, Matrimonium  
contractum inter exaceratos amore fuisse validum,  
nec potuisse dissolvi; ideoque quodcumque in præ-  
taxat occurrit casus Matrimonii initi vel ab amante,  
nimio amoris veneri furore obfesso, vel à quocum-  
que alio amante, stulto, seu delirante, legendus est  
Sanchez de Matrim. lib. 1. disp. 8. à num. 15. & seqq.  
ubi dat indicia, ac Doctores pro referenda veritate  
casu deliberatum, vel indeliberatum consensum in  
hujusmodi amantibus, & amentibus. Sed nec igno-  
randum id, quod notat Nicolius d. lib. 1. tit. 10. sub  
num. 33. nempe Sacram. Congregationem Episcoporum  
respondisse die 11. Decembris 1615. in Una  
Neapolitana sol. 122. quod si hujusmodi amantes, seu  
amantes contraxerint Matrimonium servatis ser-  
vandis, deinde illud impugnent ex defectu consensus,  
& ob amentiam, non sunt separandi; nisi causa  
nullitatis concludenter probetur, & super ea senten-  
tia sequatur.

Alia ulterius dementiæ species est referenda, quæ  
quidem frequentior est, ac præ cæteris detestabilis,  
nempe ebrietas; hæc enim, quia mentem hominis  
deturbat, & cum usu rationis privat, ac aufert con-  
sensem, ideo causat nullitatem Matrimonii, ab  
ebrio initi, ut firmat Sanchez d. lib. 1. disp. 8.  
numer. 19. his verbis: Ex diſſis inferitur, quid di-  
cendum sit de ebrio; is enim, si ebrietatis tempore con-  
trahat Matrimonium, aut Sponsalia, nihil facit; sua  
consensu libero, ac debita deliberatione caret. Sic  
Henricus in cap. Dilectus: De Sponsal. num. 4. S. An-  
toninus 3. part. tit. 1. cap. 19. ante §. 1. Covarruias  
4. Decretal. 2. part. cap. 2. num. 9. & alii, qui id in-  
telligunt, quando contrahens Matrimonium ita ebrius  
est, ut rationis usu orbatus sit. Concordat Averſa  
quæst. 4. sect. 1. Vers. Eodem modo, & Zacchias in Q. Q.  
Medicolegal. d. lib. 2. tit. 1. quæst. 11. num. 27. Ad cogno-  
scendam autem ebrietatem, quæ nullum reddat Ma-  
rimonium, consideranda sunt indicia, seu signa,  
quæ notant Lessius de Just. & Jur. lib. 4. cap. 3.  
num. 30. Baldellus lib. 5. disp. 30. num. 140. & seqq.  
Reginaldus lib. 22. num. 57. Layman lib. 3. sect. 4.  
num. 5. & Gobatus in Quinario tract. 5. cap. 21.  
sect. 1. ubi num. 11. refert, nullitatem Matrimonii  
agitatam in Concistorio Augustano ex causa ebrie-  
tatis, de qua Advocati consistare debebant, quia Spon-  
sus, dum contraxit, ita erat ebrius, & mente alien-  
natus, ut ea fecerit, quæ antea femper cavet, &  
ideo non erat rationis compos. cap. Cum apud. §.  
cap. Alla. 11. quæst. 3. & sic inferrebat, quod pro-  
pter ebrietatem minime esset idoneus ad consentien-  
dum. cap. Ex studiis. §. cap. Mandata. De Pre-  
sumpt.

Alter casus, quem Nicolius d. lib. 1. tit. 10. n. 33. adjungit Errori dirimenti Matrimonium ex defectu consensus, est defectus etatis in contrahentibus; nam Masculi debent esse puberes, mulieres verò Viripotentes; quod evenire solet Masculis post decimumquartum annum; feminis verò post duodecimum; & ideò si ante illud tempus Matrimonium contrahant per verba de presenti, contrahunt nulliter, & invalidè, & resolvitur contractus in pura Sponsalia de futuro; nisi forte naturæ, & rationis vigor suppleret defectum etatis. cap. fin. De Spons. Inpub. Undè Sacra Concilii Congregatio in una Resolutione 14. Junii 1621. censuit, Matrimonium cum puella impubere, cui sex dies tantum deerant ad complendum annum duodecimum, reputari nullum, nisi probetur, quòd tempore contracti Matrimonii malitia puellæ suppleret etatem, ut refert Nicolius d. num. 33. de qua re videndus Narbona de Etate Anno Decimoquarto quest. 9. in qua DD. cumulat de hac etate tractantes, & advertit, eam non esse prescriptam de Jure naturæ, sed ex jure positivo; ideò que Summum Pontificem, imò omnes Episcopos posse concedere, et ante complementum prædictorum annorum Sponsi valeant contrahere Matrimonium de presenti, quando sibi conflet, in eis malitiam supplere defectum etatis; quod etiam scribunt Sanchez de Matrim. lib. 1. disp. 17. & lib. 7. disp. 104. Reginald. lib. 31. num. 171. & Barbosa in Collect. DD. ad cap. Puberes. num. 5. De Spons. Impuber. necnon De Offic. & Pot. Episc. alleg. 35. num. 20. Et hæc omnia dicta sunt de prima specie Impedimenti Erroris, nempe de Errori personæ.

Altera species Erroris, est non circa personam, cum qua contrahitur Matrimonium, sed circa qualitates ejusdem personæ, ut si quis credat eam esse Nobilem, vel Divitem, vel Virginem; & inito Matrimonio reperiat, eam esse plebejam, inopem, vel corruptam. Et circa hunc errorem Qualitatis omnes Scribentes firmant Regulam negativam, idest per illum non irritari Matrimonium ex cap. Unic. 29. quest. 1. quam tamen statim limitant, nisi ipse error Qualitatis redundet in substantiam personæ: tunc enim formant Regulam affirmativam, & dicunt, hujusmodi errorem Qualitatis, in substantiam personæ redundantem, irritare, ac dirimere Matrimonium. Ita Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 28. numer. 23. Thomas Tamburin. eod. tract. lib. 8. cap. 2. §. 1. num. 20. Basilus Pontius lib. 4. cap. 21. Aversa quest. 12. sect. 1. Vers. Deinde. Gobatus in Theolog. Experim. tract. 9. a num. 108. & seq. Salmanticensis d. tract. 9. cap. 10. Dub. 2. Matruius d. disp. 7. in 4. sent. num. 390. Emin. Card. de Lauræa de Matrim. disp. 21. art. 4. & 5. & alii plurimi, quos allegat, & eorum verba refert Barbosa in Notis Decisuris lib. 2. Vat. 19. a num. 55. & seq. ubi in puncto disputat de nullitate Matrimonii ob errorem qualitatis redundantem in substantiam; & supradictis addendus est. Bissus in Hierurgia tom. 1. Verb. Error. num. 114. §. 5. ubi hæc habet:

Vel error circa qualitatem personæ respicit substantiam personæ, vel non. Si primum, atque talis error dirimit Matrimonium, quia idem est error circa qualitatem personæ, respicientem tamen substantiam ipsius personæ, ac si esset error directè circa substantiam; & sicut error circa substantiam personæ dirimit Matrimonium; ita etiam dirimit error circa qualitatem personæ, que ipsius personæ substantiam respiciat. At si error circa qualitatem personæ non respiciat substantiam personæ, tunc non dirimit Matrimonium; quia non datur Error in Materia, circa quam Matrimonium versatur. Ita Bissus. Verùm ad cognoscendum, quando error redundet in substantiam personæ, adeò confusi, & discordes sunt Doctores in assignanda regula, ut illi, qui se profertur faciliores, in effectu obcuriores evadant, & quod mul-

ti afferunt de nullitate Matrimonii circa errorem qualitatis, alii affirmant de validitate; itaut Sanchez in uno themate d. lib. 7. disp. 28. dicat Matrimonium non obstante errore qualitatis fuisse validum; & contra in eodem themate Pontius d. lib. 4. cap. 21. sustentet, esse invalidum; & similiter Matrimonia non obstante prædicto errore qualitatis approbata à Tamburino d. lib. 8. cap. 2. §. 2. reprobentur à Bonacina ibidem ab ipomet Tamburino citato.

Igitur duæ regulæ sunt stabilendæ à nobis, sub quibus vastissima hæc DD. disputatio restringatur; & aliqua certitudo, pro judicio ferendo circa nullitatem, vel validitatem Matrimonii cum errore qualitatis inhi, indicetur. Una est, quando contrahens posuit illam qualitatem in conditione contractus; puta, duco te, si es filia Principis, aut Comitiss, aut Marchionis: Vel si es dives, si es Virgo, & 28 similes qualitates: & in hoc casu, deficiente illa qualitate, deficit valor Matrimonii; nam consensus à contrahente datus fuit conditionatus, si habeatur illa qualitas; & ea deficiente, deficit conditio, nullus datus fuit consensus, & nullum remanet Matrimonium. Emin. Card. de Lauræa disp. 20. num. 29. & 30. Et Salmanticensis d. cap. 10. n. 9. ubi ita loquitur: Similiter est verum, quòd si aliquis formaliter, vel virtualiter vult contrahere sub illa conditione, quòd esset Virgo, nobilis, aut dives, ea deficiente, esset nullum Matrimonium, ut diximus de Matrimonii contractibus sub conditione de presenti cap. 7. num. 52. Ita Basilus lib. 4. cap. 21. num. 5. Aversa quest. 12. sect. 1. fol. 500. Sanchez lib. 7. disp. 18. n. 21. Bonacina quest. 3. punct. 2. n. 6. & alii. Igitur quando qualitas personæ deducta est in conditione, vel formaliter, vel saltè virtualiter, certa regula est, quòd deficiente illa qualitate, deficit valor Matrimonii; quòd irritum, & nullum remanet ex defectu consensus.

Secunda Regula est, quando qualitas personæ non fuit deducta in conditione neque formaliter, neque virtualiter, sed tamen de ea actum est ante contractum Matrimonii; quia affirmarunt, vel mediatores, vel ipsa persona cum qua contrahitur, eam esse exempli gratia, primogenitam, nobilem, divitem, virginem &c. Et in hoc casu distinguere oportet. 29 Vel contrahens intendit ducere in uxorem hanc mulierem præsentem, quam credit habere illam qualitatem: Vel ob illam qualitatem, in quam principalem dirigit mentem, intendit contrahere cum illa persona, quam ita qualificatam credit. In primo casu error qualitatis non dirimit Matrimonium, quia primario intendit ducere illam personam, secundario reflectit ad qualitatem. In secundo casu Matrimonium est irritum, & nullum; quia principaliter intendit contrahere cum persona habente illam suppositam qualitatem; secundario cum illa, cum qua contrahit, supponendo esse eandem, cui inhi illa qualitas. Ita Bissus d. Verb. Error. §. 9. & 10. cujus verba juvat hic transcribere tamquam satis clara pro hujus regulæ intelligentia. Ait itaque §. 9. Ex dictis colligi potest brevis, & facilissima regula dignoscendi, quandoenam qualitas transcat in substantiam personæ, & quando non. Attendit sensum duarum Propositionum sequentium. Petrus contrahit cum hac Antonia presente, quam putat esse primogenitam N. Comitiss. Alio modo: Petrus contrahere vult cum primogenita N. Comitiss, putans eam esse Antoniam hic presentem. Supponamus autem Antoniam feminam presentem in neutra propositione esse primogenitam N. Comitiss, sed in utraque dari errorem circa primogenitam: Peto, in quantum propositione qualitas primogenituræ transcat in substantiam personæ? Non in prima Propositione, quia in ea non determinatur persona per qualitatem primogenituræ, sed per presentiam, quia supponimus, Petrum contrahere cum presente. At verò in secunda propo-

sitione, sine dubio, primogenitura determinat personam, quia Petrus non contrahit cum presente, sed cum Primogenita N. Comitiss, quam putat esse hanc presentem; quare solum consistit in Primogenitam N. Comitiss, & nullo modo in presentem, nisi in suppositione, quòd sit Primogenita N. Comitiss. Igitur in prima propositione error qualitatis non dirimit Matrimonium, quia non afficit substantiam personæ; in secunda propositione idem error dirimit, & nullum reddit Matrimonium; quia personæ substantiam afficit, & transit in illam; ut docent etiam consimili exemplo, etsi mutatis verbis, Matruius d. disp. 7. num. 390. & 392. Pontius, Bonacina, Sanchez, Reginaldus, Hostiensis, Antonius Cuccus, Navarrus, & alii plurimi, quorum verba, (omni spreto labore) transcribit Barbosa d. lib. 2. Voto 19. a num. 55. & seq. qui omnes dant exemplum de aliqua muliere, que contentaret in Matrimonio cum uno, quem crederet Filium Regis, Principis, Comitiss, aut alterius sublimis personæ; & deinde reperiret, non esse talem, sed hominem plebejum; omnes enim concludunt, Matrimonium illud esse irritum, & nullum ob impedimentum erroris qualitatis afficientis substantiam ipsius personæ.

Ad majorem intelligentiam hujus Erroris qualitatis valde conferat casus ille non fictus, sed factus, quem narrat Caramuel in Theolog. Fundament. De Impedim. Erroris num. 2018. in meo codice; & quem transcribit Gobatus d. tract. 9. num. 103. existentem, (ut ait) in ejus codice Fundam. 70. n. 1340.

his verbis: Dalila Feminam alto nominis prædicitam reperit Rome Sempronius homo Germanus, dives, sed non nobilis. Dicebat Dalila se Filiam Comitiss à Liebenstein, fugisse Parentum tyrannidem, velle nubere. Cognoscebat Sempronius parentem, sciebat habere filiam, que rigorem, & domum pertulsa ad Monialium ceterum confugerat. Credit hanc esse, & illam in uxorem ducit. Revertitur in patriam opinione jam sua Comes factus; at ibi reperit Comitiss filiam adque herere apud Moniales; & hanc esse meretriculam quandam, que casse, & nobilis Virginis nomen sumpserat. Quid faceret? Matrimonium esse nullum vociferatur. At Juriste dicunt, fuisse errorem in qualitate (hoc est in divitiis, nobilitate, forma &c.) adeoque Matrimonium tenere. Me consulit. Et ego sic questionem debere resolvì judicavi.

Quando nihil cogitans de Matrimonio incedo vides puellam, quam audis esse prænobilem, parasam verò nubere etiam non nobili, modo hic sit pecuniosus; tu si proòd nummatas concipias tunc primam animum ducendi uxorem, & hanc quidem, inducitur unice amove affinitatis cum illustri familia; accipiasque eandem ab illustri feminate ita laudatam; non valens niam equè nobilem nascisci; & ne quidem cogitans de Matrimonio, nisi occasione, atque studio illius de prædicata nobilitate; non negabis, quin finit tui Matrimonii sit conjunctio, seu affinitas cum illustri prosapia. Ergo Matrimonium se habet, ut Medium respectu prædicte nobilitatis, affinitatisque; & quidem unicum Medium, quia alia ratione nequis conjungat cum illo prænobili sanguine. Ergo nihil est, quòd in hac muliere ames, aut eligas, nisi nobilitas, aut propior nobilitatem hujus appendices. Ergo si non adhi nobilitas, nihil est, quòd in ea ames, aut eligas. Ergo quando erras in ipsamet substantia Qualitatis, nullum est in hujusmodi casu Matrimonium, quia nullus est contractus, in cuius materia eligatur quidpiam. Huculque Caramuel.

Ex cujus argumentatione, & decisione supradicti Casus, ipsemet Gobatus d. tract. 9. num. 113. format hanc aliam Regulam ad cognoscendum, quando error Qualitatis afficiat substantiam personæ, & irritet Matrimonium, videlicet: Quando qualitas est finit Matrimonium, itaut Matrimonium sit unicum Medium ad finem illum essequendum, seu obtinendam De Sacram. Matrim.

illam qualitatem, tunc error qualitatis impedit valorem Matrimonii. Subindè idem Gobatus num. 114. sentit, Matrimonium prædicti Sempronii cum Dalila fuisse nullum, quia ejus primaria intentio, & præcipuus finis fuit contrahere cum filia Comitiss à Liebenstein; & Matrimonium illud fuit electum præcisè, ut Medium, & quidem unicum perveniendi ad prædictam affinitatem, & parentelam. Ergo (ait) si fuit (sicut revera fuit) erratum in substantia consanguinitatis, ac filiationis, qua se intimè copulatum Liebensteiniensis mentiebatur Dalila, cum nihil fuit in Dalila, quòd amaretur (concludit etiam Gobatus cum Caramuele) aut eligeretur, contrañus Matrimonii fuit nullus.

Illud autem est notandum, quòd in foro fori difficillimum est obtinere sententiam nullitatis Matrimonii ob errorem in qualitate personæ; ea ratione, quia ut scribit Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 21. num. 50. justè, & prudenter decrevit Ecclesia, ut legitur in cap. Unic. 29. quest. 1. quòd error in qualitate non invalidet Matrimonium, ne confunderetur societas fidelium, pax communis turbaretur, & familiæ remanerent expostæ odiis, & rixis, prout incessanter contingeret, si super hoc impedimento qualitas non cognita dissolveretur conjugia; quilibet enim post initas nuptias, facti penitens, assereret, se credidisse in corde iuxto qualitem alicujam in conjugio, quam adesse non reperit; & ex ejus defectu præterderet ob errorem qualitatis à Matrimonio resilire. Quamvis autem in foro poli esse possit irritum Matrimonium ob defectum qualitatis, cujus intuitu quis consentit in illud; aliter tamen sententiam esse in foro fori ob motiva prædicta; non est autem novum, ut ad tollenda gravia incommoda multa Matrimonia præsumantur valida in foro fori, quæ in foro poli talia non sunt, ut ait Glossa in cap. Cum in Apostolica. & in cap. Is, qui. De Sponsalib. atque in capit. Ad Nosstram. De Conjug. Servor. Idcirco cauti sint qui in contrahendo Matrimonio ducuntur motivo alicujus qualitatis in conjugio; & eam deducant expressè in pactum, & in conditionem, ad effectum, ut ea deficiente, possint sententiam nullitatis conjugii obtinere, ut diximus supra num. 28.

DECISIO XX.

ARGUMENTUM.

Agitur de Impedimento dirimente quod vocatur Condicio; & ostenditur, illud esse duplex: Unum Conditionis servilis; Alterum ob conventiones, seu pacta, sub quibus potest Matrimonium iniri. Declaratur primum, præmissa origine servitutis, ac servorum, nec non eorum sine apud nos Christianos. Explicatur Secundum per quatuor genera conditionum; & clarè, & ac facillè docetur, quando prædictæ omnes conditiones irritent Matrimonium; vel ipsæ irritentur.

SUMMARIUM.

1. Conditionis Vox denotat duo impedimenta dirimentia. Et que?
2. Condicio servilis ignorata est impedimentum dirimentis.
3. Condicio servilis hominum quando habuit initium?
4. Quando habuerit finem Patruj & alibi?
5. Homines servi tanquam bestie veniunt apud Mahometanos.
6. Nullitas Matrimonii contractus cum persona serva ignorata.
7. Condicio servilis an dirimat Matrimonia Infidelium?